B. N. C!
FIRENZE
1158
8



1158-8



1158.8

DE S. SPIRITVS ADVENTV.

ORATIO,

HABITA

In Sacello Pontificum Quirinali.

AD SANCTISSIMVM D.N.

CLEMENTEM X.

PONT. MAX.

A COMITE BERNARDINO SARACINELLO
Vrbeuetano Sem. Rom. Conuict.

Romæ, Typis Ignatij de Lazaris. 1676.
SVPERIORVM PERMISSV.

1158.8

SERENISSIMO PRINCIPI

COSMO III.

MAGNO ETRVRIAE DVCI.

BERNARDINVS SARACINELLVS FELICITATEM.

APellem ſuſpexit Antiquitas, quod imitari aggreſſus inimitabile in tela velut in nu-

be tonitrus colorauerit. Incertum, oculos ne potius audire coegerit, an aures videre. Sanè fragores & ſonitus natura ſua mobiles & fugaces neſciô quò artis imperio, vt ſeruirent oculis ſtare didicerant. Sed ille quidem nocenter ingenioſus, quid aliud effecit viſibili ſtrepitù niſi vt inde terror ad animos hominum per ſenſus plurimos ingrederetur. Meliora tonitrua oculis ſiſto Tuis Sereniſsime Dux;

illa videlicet quæ largitor munerum Spiritus hodierno tulit illapsù. Hæc timeant quibus innocentia niſi metù non placet: Ad probitatem non indiges ipſe tonitrù monitore. Eam ſpontè compleсteris, animo foues, amplias exemplo. Vnde cognomen illud MAGNI Mediceis Ducibus peculiare auguſtius multò imples virtutibus, quam fortuna. Id autem præ cæteris me potiſsimum impulit, vt of-

ferrem tibi tributũ hoc primum meæ erga te reuerentiæ, ne ſcilicet à maioribus meis deflecterem, quos omnes obſequioſos ſemper habuit Tuæ familiæ celſitudo. Quare me pariter pleniſsimè voti compotem æxiſtimabo ſi grande Tui patrocinium benigniter collatum in meos, obtingat & mihi.

ORA-

ORATIO DE SPIRITVS SANCTI Aduentu.

AMORIS Ille beneficus Ignis BEATISSIME PATER ex affectù Patris & Verbi ab omni æternitate productus hodierna luce tandem emicuit inter applauſus naturæ ſalutare incendium gratulantis.

tis. Nec ambigi poteſt, quin pacis ſit nuncius inter Deum & hominem æternum ſancitæ cum & ſereno cadat, & in quos cadit inſideat. Etſi videtur nocere, quod inſtar turbinis ſpiret, acuat linguas in fulmina, voces in tonitrus, attamen prodeſt ſpecie nocentis. Hoc enim Igne opus erat vt poſito vitiorum ſenio iuuentam nouam Orbis indueret, longe pulchrior ab incendio factus, ac olim Roma poſt Senonum flammam, quæ dum altis cineribus Romuli paupertatem abſcondit, vt Paſtorum caſis palatia Cæſarum inde ſuccederent, effecit ampliora trabeatis ſceleribus domicilia. At vero Amor diuinus clementer incendiarius obruit quidem receptacula impietatis, ſed extruxit ſanctuaria Religioni. Quod ſi tonitrù præter morem obſtrepero immurmurat, illo excitari debuit genus humanum, vt crederet Cœlo Deum regnare & hunc crucifixum. Aſſueta quippe vana gentium ſuperſtitio Ioui fidem præſtare tunc ſolum, cum toruus deſuper fulminaret, rata videlicet per hiatus apertarum nubium, quaſi de ſpecula prodire vultum Numinis ſolitarij, & per tonitrua loquentis

vo-

vocem ſonare . Vnde beneficio terroris & quidem validi declarandus Deus pariter erat, qui nuper actus in crucem viſus Hæbreis ſcandalum fuerat, & gentibus ſtultitia. Homines enim diuina plerumque ſensù magis, quam animo librant . Vidit Centurio ſupplicia ſuprà humanam conſtantiam tolerantem Deum ſiluit ; Aſt vbi illum eundem audijt magnà voce animam exhalantem protinus exclamauit Vere Dei filius erat iſte . Vſque adeo in argumentum Diuinitatis plus valuit terror vocis, quam miraculum patientiæ. Hinc Spiritus Domini quemadmodum ad Iordanem Ioanni prodidit Verbum Patris canoro aeris teſtimonio, ſic eodem nunc gentibus aperit Deum. Eius ergo voci grauiter ſonanti oculos potius, quam aures accommodemus. Olim Deo ferente Hæbreis legem per tonitrus, & Sinai vertice hinc, illinc ſplendidè caligante, ſtupens populus votes videbat: at quas voces? ſonitum buccinæ, fragoremque tonitrui!. Quod ideo eueniſſe crediderim vt diſcerent homines verba Diuinitatis quam celerrimè excipienda. Oculorum enim velocior eſt ſenſus quam aurium.

Qua-

Quare id eſſe cauſæ interpretor, cur hodie Orator Cœleſtis in ſpeciem linguæ viſibilis ſpectandum ſe dederit, vt illapſa voce diuina per oculos audientium, celerius quod imperat exequamur.

Imprimatur ;

Si videbitur Reuerendiſſ. Patri Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Io. de Ang. Arch. Vrb. Vic.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capiſuccus Ordinis Præd. Sacri Pal. Apoſt. Mag.

00863621

Z
1158.8

1158-8